Q. D. B. V.

DE

SENECA MEDICO

ID EST

DE QVIBVSDAM VTRIVSQVE SENECAE SENTENTIIS MEDICIS

DISPVTATIO TERTIA

QVAM

PRAESIDE

IO. IACOBO KIRSTENIO

MED. DOCT. PHYSIOL. ET CHEM. PROF. PVBL. ORD. IMPERIAL. ACAD. NATVR. CVRIOS. COLLEGA, FACVLTAT. MEDIC. H. T. DECANO

IN CYCLO ACADEMICO

PLACIDAE PHILIATRORVM DISQVISITIONI

EXPONIT

GEORGIVS LEONHARDVS BECK

ALTORFINVS

A. D. XIV. OCTOBR. A. S. R. CIƆIƆ CCXXXXI.

ALTORFII

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI VNIV. TYPOGR.

VIRO

PRAENOBILISSIMO, CONSVLTISSIMO, EXCELLENTISSIMOQVE

DOMINO
IOANNI IACOBO BECKIO,

I. V. DOCT. CODIC. PROF. PVBL. ORDIN.

ILLVSTRISS. COMIT. DE HOHENLOH-NEVENSTEIN ET GIECH, VT ET PERILLVSTR. REIPVBL. NORIMBERG. CONSILIARIO, FACVLTAT. IVRID. ASSESS. ORDINARIO,

PARENTI SVO

OMNI HONORIS AC OBSERVANTIAE CVLTV PIE VENERANDO

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS SACRAS ESSE IVBET

FILIVS OBSEQVIENTISSIMVS

RESPONDENS.

I.

SENECA *Epiſtol. XCV.*

Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, uulnera coirent paulatim: deinde in hanc peruenit tam multiplicem uarietatem.



Ihil in hoc uniuerſo ſtatim peruenire ad perfectionem, ſed cuncta paulatim temporis tractu ſua capere incrementa, quotidie experiri nobis contigit. Parua antea glans fuit, quae nunc eſt altiſſima ampliſſimaque Quercus, quae inter alios arbores ita eminet, quantum lenta ſolent inter uiburna Cupreſſi; et quae exigua initio fuerunt domicilia, uaſtiſſimae nunc ſunt ciuitates et emporia. Haec et plura alia exempla, ſapientiſſimus magiſter omnis moralis doctrinae apud ueteres, SENECA, probe perſpexit, agnouitque, ſcientiarum rationem ita quoque eſſe comparatam, ut in dies eae magis magisque excultae, ſenſim ad maturitatem perueniant. In eadem enim epiſtola ſane pulcherrima: *Vetus*, inquit *ſapientia, cum maxime naſcens rudis, non minus, quam ceterae artes, quarum in proceſſu ſubtilitas creuit.* Artem uero ſalu-

ſalutarem ſua iam aetate ſatis amplam putauit, eamque ad exemplum propoſuit. Id quod eum fortaſſis HIPPOCRATES docuit; ex quo ipſe notiſſimum excitauit (*a*) eius primum aphoriſmum: *Ars longa, uita breuis.* Nihil enim aliud indicare hac uult ſententia, fronti adpoſita, quam quod uetuſtiſſimis temporibus, ubi medicina initium cepit, non ſtatim tantus remediorum diuerſorum apparatus fuerit, ſed paucis medicamentis ſanitatem tueri primi Medici conſueuerint; unde infra in eadem epiſtola: *nihil opus erat*, pergit, (ſcilicet prioribus temporibus) *tam magna medicorum ſupellectile, nec tot ferramentis, atque pyxidibus. Simplex erat ex ſimplici cauſſa ualetudo.* Tunc ſane cum Coo dici poterat: *Pauca ſunt, quae medicum nobilitant.* Sed paululum ſtrictius, et fere ſecundum ipſa uerba, explicabimus hanc ſententiam, primum quidem demonſtraturi, probabile admodum eſſe, prima medicamenta ex uegetabilium genere fuiſſe deſumta; deinde etiam rei herbariae augmentum, quam breuiſſime fieri poterit, enarraturi. Plurimi namque auctores, qui de primorum parentum uictu ſcripſerunt, uti ſunt, CVRCELLAEVS, (*b*) CVCHLERVS, (*c*) SCHALLERVS, (*d*) aliique, (ut nihil dicam de Iudaeis, et multis ex patribus, de quibus MEYVS (*e*) conſuli poteſt) contendunt, eos pro primo uictu herbis uſos fuiſſe, iuxta DEI mandatum, quando Adamo praeceperit: (*f*) *Tu uero comedito herbam agri.* Ita etiam OVIDIVS, Metamorph. Lib. I. u. 103. qui originem mundi a paganis traditam, deſcripſit, cecinit de primis hominibus:

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos foetus montanaque fraga legebant,

Corna-

(*a*) SENECA de breuitat. uit. cap. I. (*b*) Diatrib. de uſu ſanguin. inter Chriſtian. (*c*) Diſſertat. de tempor. mund. condit. (*d*) Diſſertat. de Eſu carn. (*e*) Commendat. phyſic. ad pentateuch. (*f*) Geneſ. cap. III. u. 18.

Cornaque, et in duris haerentia mora rubetis,
Et quae deciderant patula Iouis arbore glandes.

Igitur maxima eorum cura erat, ut herbarum ſtudium excolerent, et de earum uſu et applicandi ratione eſſent ſoliciti. Earum autem uſum internum et externum eſſe poſſe, facillime didicerunt. Statim enim, ſi pro uictu iis utebantur, experiri poterant; an herbae crudae, an coctae, facilioris eſſent concoctionis; quod nimia repletio moleſtiam crearet; quod poſt nimis adſumtum cibum nocturno tempore inquiete dormirent; quod unam plantam prae altera commodius perferre et concoquere poſſent; quod poſt uſum cuiusdam herbae, ſitis maior, uehementior incaleſcentia, aut frigus, et quae ſunt aliae ſenſationes, in corpore prouenirent; quod denique ex huius uel illius herbae eſu orirentur, in corpore ructus, tormina, flatus, dolores, alui conſtipationes, laxationes; non uero ex uſu alterius. His omnibus ſolicite obſeruatis, nullus dubito, quin ab his herbis, quae ſemel, aut ſaltem aliquoties, turbas excitarant in corpore eorum, abſtinuerint, et alias, magis ſalubres, quaeſiuerint, et comedendo probauerint, probatasque annotauerint; unde paulatim *Medicina diaetetica* ortum cepit; de cuius propagatoribus CELSVS (*g*) haec commentatur: *Eius autem* (ſc. partis), *quae uictu morbos curat, longe clariſſimi auctores etiam altius quaedam agitare conati, rerum quoque naturae ſibi cognitionem uendicauerunt, tanquam ſine ea trunca et debilis medicina eſſet.* Quoniam autem primi homines parum ueſtimentis tecti erant, et ſine dubio pedibus ut plurimum incedebant nudi; igitur ſi circumibant, ſedebant, iacebantque, facile explorare atque ſentire poterant, herbas alias eſſe lenes, alias aſperas, alias aculeatas, alias glutinoſas, molliores alias, durioresque;

(*g*) de Medicin. Praefat. Lib. I.

que ; nonnulla foliorum magis denſa et flexilia , ſicque apta ad ligandum , alia uero minus ; et quae ſunt aliae tactiles qualitates : ut nihil dicam de notitia per alios ſenſus acquiſita. Si igitur ab aculeatis plantis , aut morſu animalium, uulnerati fuerunt, facile ſibi ex folio, aut cortice arboris cuiusdam, faſciam parare potuerunt ; qua occaſione inſimul experti ſunt , unam prae altera plantam eſſe commodiorem ; u. gr. folium aſperum uulnus fricare , dolorem augere , ruborem circa uulnus efficere ; lene uero demulcere , et, ſi glutinoſum, inſimul uulnus conſolidare , et quae ſunt alia. Hac ratione exorta eſt *Medicina chirurgica* , de qua hic SENECA inprimis loquitur ; unde a nonnullis *medicina prima* uocatur. Quia uero ſtatim a principio et ortu medicinae, non in multis , ſed in paucis plantis , et fortaſſis uilioribus, experimenta inſtituerunt ; igitur *medicina quondam paucarum herbarum ſcientia ;* poſt multos demum annos *in tam multiplicem uarietatem peruenit.* Vnde cum SENECA noſtro plane conuenit rerum naturalium ſcriptor diligentiſſimus, PLINIVS: (*b*) *Hinc nata medicina* , ait : *Haec ſola natura placuit , eſſe remedia parata uulgo , inuentu facilia ac ſine impendio , ex quibus uiuimus. Poſtea fraudes hominum , et ingeniorum captura , officinas inuenere iſtas , in quibus ſua cuique homini uenalis promittitur uita. Statim compoſitiones et mixturae inexplicabiles decantantur ; Arabia et India in medio aeſtimantur , ulcerique paruo medicina a rubro mari imputatur ; cum remedia uera pauperrimus quisque coenet. Nam ſi ex horto petantur , aut herba , uel frutex , quaeratur , nulla artium uilior fiat.* Et ſupra citato loco CELSVS : *etiam imperitiſſimae gentes* , inquit , *herbas , aliaque promta in auxilium uulnerum morborumque nouerunt.* Vlteriorem autem huius rei explicatio-

(*b*) Hiſtor. mund. Lib. XXIV. Cap. I.

cationem relatam legimus, in *Historia Academ. Reg. Scient. Paris.* (i) ubi dicitur: *Plantarum cognitio nullo non tempore omnibus gentibus in pretio habita fuit. Persuasi sunt communiter homines, simplicibus uniuersam fere medicinam contineri, et quemadmodum natura nonnullis animalibus instinctum indidit, quo uim medicam in quibusdam plantis reperiundam detegunt; ita hominibus instinctum talem ad plantas in genere, et maximam fiduciam in remedia ex illis parata, contulisse uidetur. Rationi uero nostrae commisit, indagare, quaenam utilitas a singulis plantis specialiter expectanda sit, qua quidem in re ratio nostra satis difficulter instinctum quorundam animalium assequitur.* Non autem uictus ratio sola ad inuentionem medicamentorum ex herbis ansam dedit: duo nimirum postmodum accedebant, quae insigniter culturam et indagationem naturae plantarum, earumque multifariam cognitionem, adiuuerunt; Pollinctura nimirum et Religio, seu cultus diuinus. Sicuti autem ratio mortuos balsamis condiendi antiquissima est consuetudo; legimus enim iam in sacro Codice, (k) Iosephum Pro-Regem Aegypti, *praecepisse medicis, ut mortuum patrem suum Iacobum aromatibus condirent:* Ita ad cultum Deorum destinatas herbas in erudita Dissertatione Lipsiensi nuper demum de *Plantis ferialibus*, PITSCHELIVS proposuit. Difficillimum interea est, primum Medicum et Chirurgum certo designare. Nolim adeo nunc primum Medicum botanicum, ut non nulli solent, constituere *Adamum*; multo minus *Apollinem*: licet eum OVIDIVS (l) ita gloriantem canentemque induxerit:

Inuentum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor, et herbarum est subiecta potentia nobis.

De

(i) Anno II. uers. latin. p. 321. (k) Genes. Cap. L. uers. 2. (l) Metamorph. Lib. I. uers. 521.

De quo etiam VIRGILIVS (*m*) ita cecinit:

Scire potestates herbarum, usumque medendi
Maluit.

PLINIVS, (*n*) aliique scriptores christianae religiones expertes, *Chironem Centaurum* primum constituunt medicum botanicum: utpote quem narrant non solum rem herbariam, prae aliis coluisse, uerum etiam ad usum medicum conuertisse. Vnde apud PLVTARCHVM (*o*) legimus: *Tyrii Agenorii Chironi Magnates primitias herbarum offerunt, eum primum medicinam fecisse existimarunt. Radices enim plantarum erant, quibus aegrotos sanauerunt.* Diligentius autem artis salutaris inuentores diuisit HYGINVS (*p*) eum in modum: *Chiron* inquit, *Centaurus artem medicinae chirurgicam ex herbis primus instituit: Apollo artem ocularium primus fecit: tertio autem loco Asclepius, Apollinis filius, clinicen reperit.* Si autem ad fabulosam medicinam fortassis retuleris *Chironem Centaurum*, teste DIOSCORIDE, uix uel *Crateua*, uel *Andrea*, inuenies antiquiorem, qui praeter rem herbariam praecipue clarus fuerit; an autem hic *Crateua* sit is, qui coaetaneus Hippocratis, an eius Proauus, adhuc in dubio est. Ita autem de illis DIOSCORIDES; (*q*) *Crateuas*, inquit, *herbarius, et Andreas medicus, qui caeteris diligentius hac in parte uersati uidentur, radices multas apprime utiles, herbasque haud quaquam adnotatas, reliquerunt.* Quaenam autem ex plantis sint uetustiores, eas colligimus ex *Hippocrate*, *Eresio*, *Dioscoride*, *Plinio*, *Archigene*, *Aegineta*, *Oribasio*, aliisque ueteribus scriptoribus medicis: praeter alias autem nonnullarum saltem nomina indicabimus, uti sunt: *Brassica*, *Ficus*, *Olea*, *Raphanus*, *Moly*, *Vrtica*, *Rapum*, *Polium*, *Betonica*,

(*m*) Aeneid. Lib. XII. uers. 397. (*n*) Histor. mund. Lib. VII. cap. 56. (*o*) (*p*) Fabul. CCLXXIV. (*q*) de medicinal. mater. Praefat. Lib. I.

ca, *Anifum*, *Helleborus*, *Laurus*, *Afparagus*, etc. et, fi uerum, nonnullae quidem ex illis, propter frequentem ufum, aut inuentionem huius uel illius medici, uel alterius medicinam facientis, nomen fuum accepere. Sic antiquiffimae infimul plantae innotuerunt: *Centaurium* nimirum, *Gentiana*, *Lyfimachia*, *Artemifia*, *Telephium*, *Poeonia*, *Helenium*, *Afclepias*, *Achillea*, *Circaea*, *Nymphaea*, *Heraclia*, *etc.* Ad *uulnera fananda* herbae uero, (quae hodie *traumatica* a medicis uocantur) et ad *fanguinem fiftendum*, antiqui ufus funt: *Plantago*, *Acacia*, *Porrum*, *Myrtus*, *Hypericum*, *Malicorium*, *Thus*, *Myrrha*, etc. Cur uero, priftinis temporibus, multifariam plantarum cognitionem et ufum parum curauerint, huius rei rationem ipfe PLINIVS (r) adduxit. *Plerosque* inquit, *ita uideo exiftimare, nihil non herbarum ui effici poffe, fed plurimarum uires effe incognitas: quorum in numero fuit Herophilus, clarus medicina, a quo ferunt dictum, quasdam fortaffis etiam calcatas prodeffe. - -. Sed quare non plures nofcantur, cauffa eft, quod eas agreftes litterarumque ignari experiuntur, ut qui fol inter illos uiuant, praeterea fecuritas quaerendi, obuia medicorum turba.* Cum quo ex recentioribus fummus quondam Germaniae Botanicus, AVG. QVIR. RIVINVS, (f) Lipfienfium quondam infigne ornamentum, conuenit, dicens: *Sciendum eft, prifcis temporibus botanicam non fecus, atque alias difciplinas, mancas extitiffe mutilasque. Ne longius excurram, teftis mihi fit Ariftotelis fucceffor, Theophraftus, qui fub finem Lib. I. Hift. Plantar. ubi de arborum differentiis differit, aperte fatetur, fyluestrium plurimas nomine carere, expertasque perpaucas effe, cum urbanarum plures fuo nofcantur nomine, utpote quarum fenfus fit communior.* Extra dubium igitur eft,

fuc-

(r) Hiftor. mund. Lib. XXV. cap. 3. (f) Introduct. in rem herbar. m, p 6.

successiue stirpium notitiam inualuisse, urgente partim necessitate, in defectu sufficientium medicamentorum, partim ingenua curiositate plus ultra stimulante alios. HIPPOCRATES uero, quemadmodum totam quasi medicinam in artis formam redegit, ideoque non immerito parens omnis medicinae dicitur, etiam rem herbariam amplificare coepit; optandum saltem esset, ut plantas, quas nouit, indicauitque, clarius descripsisset. Hinc Gallicorum botanicorum quondam princeps, TOVRNEFORTIVS (*t*) ita de eo sentit: *Hipporates saluti posteriorum melius consuluisset, si herbarum descriptiones addidisset, quibus aetate sua Therapeutica continebatur. Sola tamen nomina uiresque recensuit plantarum circiter quatuor et triginta supra ducenta.* THEOPHRASTVS ERESIVS, qui ex instituto de herbis scripsit, nobisque earum historiam reliquit, ex omnibus botanicis antiquissimus auctor, D recensuit plantas. (*u*) Ille autem herbarum numerus ita sequentibus temporibus creuit, ut DIOSCORIDES iam de DC fere plantis mentionem fecerit. Post illius autem tempora, uixit GALENVS, de quo supra nominatus TOVRNEFORTIVS l. c. p. 12 ita dicit: *Galenus de uiribus plantarum quinquaginta circiter supra quadringentas egit libro sexto, septimo et octauo de simplicium medicamentorum facultatibus, praeter alias plurimas, de quibus sparsim tractat.* GALENVM hunc, et nonnullos Arabes si excipimus, *Botanica* per multa saecula parum profecit. Saeculo autem XVI, uti omnis res literaria et medica altius effloruit; ita et exorti sunt uiri, qui rem herbariam insigni studio atque incremento prosecuti fuerunt; et qui non solum multas plantas collegerunt, descripserunt, et ad usum medicum uocarunt; uerum etiam, ut posteris eo fierent notiores magisque cognitae, plurimas herbas delineari curarunt. Quam-

(*t*) Isagog. in rem herbar. p. 3. (*u*) STOLLIVS in Hist. medicin. p. 615.

Quamuis et de his non admodum laudabiliter loquatur HELMONTIVS: (vv) *A diebus Dioscoridis*, inquit, *nil artem herbariam increuisse comperi; quin imo hodie ab ipso traditis herbarum iconibus, nominibus atque faciebus plantarum, utrimque dumtaxat disputari: nil uero uirtutum, proprietatum, ac usuum esse adiectum priori inuentioni atque historiis: Praeterquam, quod posteri confinxerint gradus qualitatum elementarium, quibus tota herbae Crasis tribuenda est. At cum ducentas forte herbas, unius qualitatis et gradus, diuersas habere proprietates comperissem, atque aliquot diuersarum qualitatum, ac graduum symphoniam (puta in potionibus uulnerariis,) habere in productione eiusdem effectus, coepere mecum uilescere, non quidem herbae, (pentacula diuini amoris) sed ipsi herbarii.* Sic adeo inuenimus in opere botanico TRAGI, plantarum icones DLXII; FVCHSII, DXVI.; MATTHIOLI, MDLXVIII; (eiusdem autem botanicum, cura CAMERARII et BAVHINI editum MDCCCXCVIII imagines plantarum depictas in se continet. Sic etiam liber botanicus CLVSII MCXXX, L'OBELII uero exhibet icones MCCCCLXXVI; DODONAEI, MCCCVIII. TABERNAEMONTANVS, prouti eas recensuit CONRINGIVS, (x) MMLXXXVII annotauit. Noua uero huius operis editio, quae Basileae An. 1731. diuulgata est, plus quam MMM iconibus descriptionibusque plantarum exornata prostat. Immo, Vir de re botanica meritissimus, BAVHINVS, in *Pinace*, MMMMMM plantas cognitas iam indicauit; et antea nominatus TOVRNEFORTIVS, in *Institutionibus* suis, uniuersam rem herbariam, ad DCLXXIII circiter genera redegit, quibus plus quam 8846 species plantarum tam terrestrium, quam marinarum hucusque

 cogni-

(vv) De Stud. Auctor. §. 10. p. 302.

(x) Introduct. in uniuers. Art. medic. cap. X.

cognitarum, comprehenduntur. Princeps denique botanicorum, RAIVS, hodie iam 18000 plantas esse cognitas, affirmauit. (*y*) Fidem autem superat, quando Malabariae incolae nimis superbe gloriantur, eos iam 200000 plantarum species detexisse. (*z*) In tam multifariam, ut cum SENECA nostro loquar, scientiam res herbaria tandem succreuit. In quantam igitur admirationem non raperetur omnis Romanae eloquentiae princeps, CICERO, (*a*) si de tam ingenti plantarum numero audiuisset, cum iam suo, quo uixerat, tempore; *Mirari licet*, inquit, *quae sint animaduersa a medicis herbarum genera, quae radices ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad uulnera, quorum uim atque naturam ratio nunquam explicauit.* Cum uero secundum antea excitatum HELMONTIVM: (*b*) *Nil mortalibus aeque necessarium, quam DEI gratiam in uegetabilibus admirando, propriis ministrare necessitatibus, fructusque eorundem carpere:* ita et in primis Medicis plantarum solida cognitio admodum utilis est et necessaria. Vnde iam GALENVS: (*c*) *Medicus*, inquit, *omnium stirpium, si fieri potest, peritiam habeat; sin minus, plurium saltem, et quibus frequenter utimur.* Ex omnibus autem hucusque prolatis, colligimus, hodie *medicinam* non *paucarum*, sed potius *multarum herbarum*, imo et aliorum remediorum *scientiam* esse definiendam.

II. SE-

(*y*) SCHEVZERVS, in Physic. Part. I. cap. III. §. 17. (*z*) Ibid. Part. II. cap. XXXIII. §. 3.

(*a*) De Diuinat. Lib. I.

(*b*) Loc. supr. cit. §. 9. (*c*) Lib. I. de Antidot. cap. V.

II.

SENECA *Epistol. XV:*

Bibere et sudare Cardiaci uita est.

AD duo explananda momenta, haec sententia ansam mihi suppedidat: quorum primum *explicationem ueram*, uel *sensum adaequatum* huius dicterii illustrabit; alterum uero *propriam morbi cardiaci significationem* docebit. Ad *primum* igitur quod attinet *membrum*, obseruaui, quoties ab aliis auctoribus hanc sententiam adductam inueni, ita explicatam fuisse, ac si *bibere et sudare* remedii loco quasi essent, qua ratione scilicet *uita Cardiaci* conseruari posset, sicque idem significare, ac si SENECA dixisset: *frequenti potu, et sudatione crebriori, uita morbo cardiaco laborantis prorogatur.* Ego uero puto, ita eam esse intelligendam sententiam: *Conditio uitae Cardiaci nihil aliud est, quam continua sudatio, et potus desiderium:* siue, *Cardiacus per totam uitam suam, nihil fere aliud facit, quam ut bibat, et sudet.* Id quod facile patet ex antecedentibus uerbis SENECAE, quibus dehortatur uirum sapientiae studiosum a cura corporis saginandi, et exercitationibus firmandi. *Accedunt*, inquit, *pessimae notae mancipia in magisterium recepta, homines inter oleum et uinum occupati, quibus ad uotum dies est actus, si bene desudarunt, si in locum eius, quod effluxit, multum potionis altius, ieiuno guttere ingesserunt. Bibere et sudare, uita cardiaci est.* Voluit nempe egregius hic Philosophus demonstrare, non facere ad uitam hominis bene ualentis uereque felicis, curam corporis, potu et sagina, ac palaestricis exercitationibus, quibus sudores excitentur, corroborandi: cum *bibere* et *sudare* potius sit conditio hominis cardiaci, i. e. aegrotantis, quam bene ualentis; ubi species pro genere posita

 esse

esse uidetur. Ad eundem modum loquitur idem SENECA, *Epist.* XCVI. *Viuere*, inquit, *militare est*, h. e. uitae nostrae inest conditio militiae. Quomodo et BASILIVS SELEVCIENSIS *Orat.* XXVII, locutus est: Ἀγὼν ἀνθρώποις ὁ βίος. Vnde etiam Germani saepius dicere solent de homine morbo diuturno laborante: *Dieses Menschen Leben ist eine beständige Kranckheit, oder Sichen.* Sed et eandem interpretationem probat methodus curandi huius morbi; cum ueteres medici unanimi fere consensu in cardiacis sudorem magis cohibendum, quam promouendum, suaserint. Quodsi uero quis τὸ *bibere*, hic non tam pro effectu, quam pro remedio huius morbi, habere uelit, ei refragari nolimus: τὸ *sudare* autem neutiquam ad remedium, sed ad effectum eiusdem morbi referendum est. Si enim cardiacis sudor remedii loco esset, sane non cohibitio eius ordinaretur; quamuis non negemus, leuem saltem perspirationem multum etiam ad hunc morbum leuandum conducere posse, neque a medicis esse reprimendam. Alterum adeo, quod explicandum restat momentum, est *significatio uera ipsius morbi cardiaci.* Vt autem hanc accuratius scrutemur, eo magis est necessarium, quo magis tam inter ueteres, quam inter recentiores medicos, confuse semper, aut obscure, de illo morbo agi, solitum est. Plurimi enim *Cardialgiam*, et morbum *cardiacum*, pro uno eodemque morbo habent, et his uocibus in scriptis suis promiscue et synonymice utuntur: qui uero non nihil discriminis admittunt, ad summum *Cardiacam* speciem *Cardialgiae* saltem esse uolunt. Sic ita CLAVDINVS (d) *cardiacam* passionem, pro *Cardialgia* qualitate ueneficia coniunctam habet. Ego uero puto, morbum ab antiquissimis medicis *cardiacum* dictum, plane a *cardialgia* differentem esse mor-

d) Empyric. rational. Lib. III. Cap. VII.

morbum, et fortaſſis hodie non ita, uti olim, frequentem. Ad ſtabiliendum hoc meum aſſertum, duo iterum praemitto fundamenta. Primo arbitror, ſi de morbo apud ueteres frequenti ſermones facere uolumus, argumenta ex ipſis fontibus, i. e. *ex ipſis antiquiſſimis ſcriptoribus*, qui de hoc uel illo morbo ſcripſerunt, et curationi eius interfuerunt, eſſe petenda. Deinde, ideo diuerſos hos morbos ſtatuimus, quia eorum *diuerſa* ſunt *ſigna pathognomonica*, prout paulo infra oſtendemus. Interea euolui, quantum occaſio et temporis anguſtia permiſerunt, ueterum medicorum plurimorum ſcripta et ab antiquiſſimo quidem eoque diligentiſſimo morborum deſcriptore, HIPPOCRATE, nihil fere de hoc morbo traditum inueni. Poſt eum uero multi ex ueteribus morbi quidem *cardiaci* mentionem fecerunt; uerum uel breuiter duntaxat, uel confuſe. Eleganter uero more ſuo dilucideque hunc morbum delineauit CELSVS, medicorum latinorum princeps; et ex iis, qui graece locuti ſunt, eundem copioſe explicauit CAELIVS AVRELIANVS. Ex his itaque auctoribus in primis notionem morbi huius claram atque diſtinctam colligere licet. Contra animaduerti, TRALLIANVM (*e*) paululum iam a recto tramite aberraſſe. Omnem autem confuſionem inde ortam fuiſſe, exiſtimo, quia partim olim tres nomine ualde inter ſe conuenientes morbi in uno eodemque corporis humani loco, in uentriculo nempe, ſedem primariam habentes a ueteribus medicis recenſeri conſueuerunt; nimirum: καρδία, καρδιωγμός, et καρδιαλγία; partim quia ſaepius *cardiam* cum *cardialgia*, et uice uerſa, in uno ſubiecto coniunctam inuenerunt; aut quia *Cardia* nonnunquam deſinit in *Cardiogmon*, teſte BENED. SYLVATICO. (*f*) Definitur autem

(*e*) Lib. medic. VII. cap. 9. et 10.

(*f*) Vid. RHODII Analect. in Septal. Caum medic. Lib. VII p. 416.

autem *Cardia* a praedicto CELSO (*g*) sequenti modo: *Morbi genus*, inquit, *quod καρδιακὸν a Graecis nominatur, nihil aliud est, quam nimia imbecillitas corporis, quod, stomacho languente, immodico sudore digeritur.* Ex COELIO AVRELIANO (*h*) autem colligimus hanc definitionem a SORANO traditam: *Cardiacam scilicet passionem esse solutionem celerem et acutam, qua disiiciantur corpora per omnes uiarum particulas.* Καρδιωγμὸς uero denotabat morsum, seu rosionem stomachi, cum uehementi motu cordis, palpitationi eiusdem simili, coniunctum; cuius morbi genus HIPPOCRATES passim iam in scriptis suis mentionem fecit. Καρδιαλγία autem secundum ueteres plurimos et recentiores, est dolor uentriculi, (non cordis, nisi fortassis interdum ex consensu neruorum,) et inprimis orificii sinistri, uel uti FRID. HOFFMANNVS (*i*) Germaniae nostrae Aesculapius, uult, etiam dextri, cum anxietate, nisu uomendi, uirium prostratione, aliisque symptomatibus, coniunctus. Horum igitur morborum admodum inter se conuenientium ueram differentiam dudum iam agnouit DONAT. ANTON. ab ALTOMARI: (*k*) *Huius affectus apud Graecos, inquit, tres diuersas reperio denominationes; nam interdum, καρδιαλγία, interdum καρδιωγμὸς quandoque καρδιακὴ dicitur. Pro quo animaduertere dignum est, quod haec tria non solum nomine discrepant, ut cuique patet, uerum etiam in re ipsa, ut ostendemus; quamuis quidam aliter sentiant, etc.* Verum hic uir sane in arte salutari alias uersatissimus, in demonstranda eorum morborum diuersitate, potissimas omisit differentias. Id quod etiam de aliis, qui horum morborum differentias ostendere uoluerunt, dicendum est. Inter hos

refero

(*g*) De medicin. Lib. III. Cap. 19. (*h*) de Morb acut. Lib. II. cap. XXXI.
(*i*) Systhem. Med. ration. Tom. IV. Part. II. Sect. II. cap. 2. §. 3.
(*k*) De medend. human. corp. mal. Part. II. cap. 1.

refero TRINCAVELLIVM (*l*) GVINTHERIVM (*m*) et alios: Optime hucusque diſtinctionis notas obſeruauit annotauitque PEVCERVS: (*n*) *Differunt*, inquit, καρδιαλγία *et* καρδιακή. *Haec enim eſt*, *cum acuta et ardente febre*, *corporis magna imbecillitate*, *ſudore largo*, *frigiditate extremorum*, *ſyncope perducente ad mortem*: (*hac D. Lutherus extinctus eſt*) *illa ſine febre eſt*, *et mitiora omnia*; *niſi quod propter dolorem periculo non careat*. Monendum autem eſt, nobis nunc eſſe ſermonem de *Cardiaca paſſione* ſtricte ſic dicta: probe enim obſeruauimus, iam antiquiſſimis temporibus hocce nomen paululum latius interdum uſurpatum fuiſſe; quod ex CAELIO AVRELIANO, (*o*) indeque orta diuiſione, cognoſcere poſſumus; cum is tradat: *cardiacam paſſionem a quibusdam duplici ſignificatione nuncupari*; *communi*, *et propria*. *Sed communem*, inquit, *dicunt eam*, *quae ſubſtantiam in ſtomacho atque ore uentris habuerit*, *ubi etiam mordicatio ſequitur ſupra dictarum partium* - - -: *propriam uero dicunt eam*, *quae cum ſudore fuerit*, *atque pulſu imbecillo*, *de qua nunc dicere ſuſcepimus*. Ne autem in recenſendis differentiis horum morborum nimis longus ſim, potiſſima ſaltem adducam diſcrimina, quam breuiſſimis fieri poterit uerbis. *Cardialgia* igitur absque dolore concipi non poteſt; qui *dolor* inter primaria etiam ſigna refertur, quibus hic morbus cognoſcitur; in *Cardia* autem, teſte CELSO et AVRELIANO, plane nullus in uentriculo dolor animaduertitur. Alteram differentiam horum affectuum docet *ſudor*, qui quidem quandoque *Cardialgiae* accidere poteſt et ſolet, in hoc tamen morbo, ſcilicet *Cardiaco*, plane ſingularis eſt, et certiſſimam eiusdem notam ſuppeditat characteriſticam. Sudor uero ſecundum

C qua-

(*l*) In Operib. et quidem in prior. Galen. Lib. de art. curand. ad Glauc. (*m*) de Medicin. ueter. et nou. Comment. I. Dialog. VIII. p. m. 674. (*n*) Practic. medic. cap. XII. (*o*) Libr. cit. cap. XXX.

qualitates in hoc morbo proprias, ab AVRELIANO (*p*) deſcribitur, *ut craſſus, tractuoſus, uiſcoſus, uel male redolens, tanquam lotura carnis.* Cum quo etiam conſentit AETIVS (*q*): *Inueniuntur*, ait, in Cardiacis, *ſudores circa faciem et ad pectus usque, glutinoſi, et odor corporis terreſtris nares percellens.* Deinde ratione quantitatis, et in homine loci peculiaris, CELSO dicitur (*r*) *ſudor ſupra conſuetudinem, et modo, et tempore, ex toto thorace et ceruicibus, atque etiam ex capite prorumpere, pedibus tantummodo, et cruribus ſiccioribus, atque frigidis.* Huc etiam pertinent frequentes *lypothimiae* cum hac paſſione coniunctae, teſte FVMANELLIO (*ſ*), ita, ut quibusdam *ſyncope ſtomachica* haec paſſio audiat. Quae etſi etiam accidere quandoque ſoleant *Cardialgia* laborantibus, attamen in Cardia ita ſunt frequentes et inſeparabiles quaſi ab ea, ut hocce perpetuum phaenomenon diuo TERTVLLIANO (*t*) anſam dederit, ut hanc paſſionem et phrenitidem comparet cum ſomno; ubi illam eum aemulari in deceſſu, hanc in exceſſu, contendit. Hiſce ſignis pathognomonicis addi poteſt *loci in ſubiecto diuerſitas. Cardialgiae* enim ſedes praecipua, uti ſupra ex definitione illuſtris HOFFMANNI audiuimus, et ut fere omnes auctores medici uolunt, eſt orificium uentriculi, ſiue dextrum, ſiue ſiniſtrum, ſiue utrumque. Interim tamen *Cardiae* non in ſolo uentriculo, ſedes eſt; uerum potius in toto corpore, ſeu in toto fere neruorum genere, eam reſidere, putamus. Vnde ſaepius iam citatus AVRELIANVS (*u*) *In Cardiacis*, inquit, *cor affici dixerunt Eraſiſtratus et Aſclepiades. Alii pericardium: alii ſeptum transuerſum; alii ſtomachum: alii pulmones atque iecur.* Merito autem magna diſtinctio *Cardial-*

(*p*) Loc. cit. cap. XXXII. (*q*) Tetrabibl. III. Sermon. I. cap. 1. (*r*) Loc. cit. Lib. III. cap. 19. (*ſ*) Vid. eius Opera in Epiſt. ad Iren. de morb. uentric. p. 515. (*t*) De Anima, cap. XLIII. (*u*) Lib. cit. cap. XXXIV.

dialgiae et *Cardiacae passionis* etiam intelligi potest ex ueterum curatione. In hoc enim *cardiaco morbo*, cum omnes illi auctores practici potissimum sudorem nimium cohibere allaborarint; ea propter, tam interne quam externe, adadstringentibus, et quae eius sunt generis alia, uti consueuerunt; deinde simul reficientia, tam calida, quam spirituosa, adhibuerunt; quae omnia medicamenta, iis, qui *Cardialgia* afflicti decumbunt, nunquam, aut rarissime, conueniunt. Quemadmodum autem magnum apparatum medicamentorum contra *Cardiam*, et quidem ex pharmaceuticorum genere, recensuit AETIVS l. c. cit.: et ORIBASIVS (*vv*): ita quod ad diaetam attinet, illis, qui hoc laborant morbo, prospexit Arabs medicus, BVHAHYLYHA BINGEZLA. (*x*) Sed pauca adhuc adiicere uolumus de potus genere, quo *Cardiaci* uti sunt soliti. Potus autem uarius quidem esse potuit; quia uel *curatiue* uel *praeseruatiue*, (ut medici aiunt) eo utebantur; imo in ordinandis potibus, pro regionis, climatis, et consuetudinis personarum, symtomatumque circumstantia, Medici saepius uariare coguntur; ita ut non unicum potus genus omnibus, et semper, conducat. Attamen, quotquot mihi medicos ueteres hac in caussa euoluere licuit, nullum sane inueni, qui non *Vinum* inprimis commendauerit. Itaque uerum est, quod PLINIVS (*y*) dixit: *Cardiacorum morbo unicam spem in uino esse, certum est.* Oportet autem, ut obseruetur legitimum tempus exhibendi, necessaria quantitas, uinique potissimum qualitas. De quibus circumstantiis elegantissime non minus, quam accuratissime, more suo, agit CELSVS: (*z*) *Nisi necesse est*, inquit, *ad uinum festinare non oportet. Si uerendum est, ne deficiat; tum et intrita ex hoc, et*

 hoc

(*vv*) Lib. de Curation. (*x*) Tacuini aegritud. Canon. XXXII. (*y*) Histor. mund. Lib. XXIII. cap. I. (*z*) Lib. III. cap. XIX.

hoc ipſum auſterum quidem, ſed tamen tenue, meraculum, egelidum ſubinde et liberaliter dandum eſt; adiecta polenta, ſi modo is aeger parum cibi aſſumit. Idque uinum eſſe debet, neque nullarum uirium, neque ingentium: recteque tota die et nocte, duas uel tres heminas aeger bibet; ſi uaſtius corpus eſt, plus etiam, ſi cibum non accipit, perunctum, ante perfundere aqua frigida conuenit, et tum dare. Sic quoque accurate quantitatis modum, quomodo uinum, morbo praeſente, ſit exhibendum, deſignat AETIVS. (*a*) *Eo usque*, ait, *exhibendum eſt uinum, donec pulſus ſubtremulus eſſe deſinat, et robuſtior fiat.* Quod uero ratione regionis medici etiam diſcrimen obſeruauerint, unde uinum adueniat, ſaepius iam adductus PLINIVS (*b*) teſtatur: *C. Sentius*, inquit, *quem Praetorem uidimus, Chium uinum in domum illatum dicebat tum primum, cum ſibi cardiaco medicus dediſſet.* Ita etiam medicamenta contra *cardiacam paſſionem* in uino porrigebant: ſic enim *Bugloſſum* hac ratione ab AEMILIO MACRO (*c*) commendatur:

- - cum uino fuerit ſi ſumpta frequenter,
Cardiacum cholerae quem fecit copia nigrae,
Conſimili potata modo curare ualebis.

Non ſolum uero uinum, ſed etiam alia potuum genera, praecipue curationis ergo, apud ueteres fuiſſe in uſu; demum nominatus PLINIVS (*d*) nos certiores fecit: ubi Cardiacis Braſſicam, uel caulem, *et ius earum*, cum ſale conditum, pro remedio commendatam legimus. Sed finem huius qualiscunque meditationis his IVVENALIS (*e*) uerſibus obſigno:

Ipſe capillato diffuſum conſule potat,
Cardiaco nunquam cyathum miſſurus amico.

(a) Tetrabibl. III. Sermon. I. cap. I. (*b*) Lib. XIV. cap. XV. (*c*) De herbar. uirtut. cap. XXXIV. (*d*) Lib. XX. cap. IX. (*e*) Satyr. V. uerſ. 31.

OMnes quis numeret, Medicus quibus utitur herbas?
Quis numeret morbos? Pharmaca quis numeret?
Ars igitur longa est medicina, angustaque uita,
Immensum studium, iudiciumque graue.
O bene! TE, BECKI, *non tanta scientia terret;*
TV *mature huius colligis artis opes.*

Nobilissimo Dn. G. L. BECKIO
de felicibus in studio medicinae progressibus
gratulatur

PRAESES.

EGregias mentis dotes dum prodis, et alta
Spiras, conatus gratulor ex animo.
Si TVA post gnauus, TVA post si feceris apte,
Mox fortuna dabit iura paterna TIBI.

Nobilissimo Doctissimoque DN. RESPONDENTI, *Amico suo integerrimo, memoriae caussa dabat*

GEORG. GVST. ZELTNERVS, Altorfinus, Opponens.

SIc patriae *uixisse iuuat, sic gaudia* patris
Surgunt, ex uoto sic TIBI *crescat honos!*

Nobilissimo atque Doctissimo DN. RESPONDENTI, Amico et Conterraneo suo dilectissimo de eruditionis specimine gratulatur

GEORGIVS FERDINANDVS MVLLER, M. C. Oppon. Altdorf.

Rex

REx auium, ſublimi ad ſidera ſumma uolatu
Euectus Phoebi lumina clara uidet.
Nec uirtus obſcura manet, ſpisſisque tenebris
Pulſis, ſermones ac petit ora uirum.
Sic TVA non potuit, magni PATRIS optime FILI,
Virtus obſcuro clauſa latere loco.
Sed, ruptis clauſtris, ferri rumore celebri
Coepit, et auguſtum uadere pergit iter.
Perge modo hoc ſtudium decurrere ſtrenuus: et TE
Virtutis comites lausque decusque manent.

In meritam uirtutis Tuae doctrinaeque laudem, edendamque de praeclaro Studiorum Tuorum Specimine gratulationem, haec poſui

CHRISTOPHORVS BALTASAR HASENEST,
Med. et Phil. Cultor, Willhermsd. Onold.
Oppon.

Was

WAs soll ich / Werther Freund! von Deinem Fleisse schreiben /
Den ich zum öfftern schon / zu Deinem Ruhm bezeigt?
Gewiß! selbst Fama will / Dein Lob aufs höchste treiben /
Da sie den Ruhm / den Du erlanget / nicht verschweigt.
O! fahre ferner fort / den Büchern obzuliegen /
Damit wir Dich dereinst in hohen Ehren sehn.
So kan Hygea Dich mit Lust und viel Vergnügen /
Zu ihrer Priester Schaar / wie Du verdienst / erhöhn.

Zur Bezeugung seiner aufrichtigen Freundschafft, hat dieses wenige, dem Herrn *Respondenten*, mit Anwünschung beständigen Wohlergehens, beysetzen wollen

Gustav Georg Biermann / I. V. C.

